

Husztí

Origines
feudorum

1772



32.
ANDREAE HVSZTI
IVRIS PRVDENTIAE ET POLITICAE
IN INCLYT. COLLEG. REFORMAT.
CLAVDIO POLITANO
PROFESSORE

DISQVISITIO

Q V A

ORIGINES FEVDORVM

A T Q V E

IVRIS FEVDALIS

N O N A L I A S

N I S I H V N N I C A S E S S E

P R O B A T V R.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A N A

C I C I O C C L X X I I .



• 88

ИСКУССТВО САДОВНИЧЕСТВА

О ПОСАДКАХ В САДУ

ИМЯЕСУ И ГЛАДИОЛ

САДЫ БАДАГИ

ЗАРУБИНЫ

САДЫ ОСИИНГОРОВЫ

САДЫ АДОНОС

САДЫ КИРИЛЛЫ

САДЫ МИХАИЛОВЫ

САДЫ ОСИИНГОРОВЫ

D

alis

uas

ngu

hef

efut

oni

im

mn

anti

co-

lo

ses

■ pr

BENEVOLE LECTOR.

Diversas esse doctorum virorum de origine feudorum atque adeo iuris feudalis opiniones, in uulgo satis notum est, uas ex instituto enarravit ill. Gebauerus singulari *dissertatione* Lipsiae edita, atque in *thesauro iuris feudalis Tom. I.* recusa. Ibi siutatis aliorum opinionibus magno eruditionis adparatu docet, non alias esse feudum origines, nisi germanicas. In alia nnia discessit Huszti, qui in libello eleantissimo, quem *Iurisprudentiam Hungaco - Transiluanicam** inscripsit, integro *titulo* io demonstrare conatur, falsas esse, uas eruditio hactenus de feudorum origine

A 2


foue-

* Prodiit libellus Cibinii in *Transiluania*, 1742. 4.

fouerint sententias, quum certo certius si
eorumdem originem Hunnis unice deber
a quibus salutare hocce institutum etiam a
alios populos sit propagatum. Nostru
quidem non est, uiri docti argumenta di
citere: quia tamen iste libellus in Germania
rarissimus est, e re B. L. esse putauimus
si integer saltim titulus separatim recudere
tur. Scripsi Francof. ad Vidr. a.

15. Mart. 1772.

▲



DE

IVRE FEVDALI HVNNO- GOTHO - LONGOBARDO - GERMANICO.

§. I.

C Tertium ius humanum, quod cum Feudu-
iure Hungarico - Transiluanico dum
ardissimam cognationem habet, *quid?*
est *ius feudale*. Est autem *feudum* ius in re
aliena immobili, plenissime utenda fruenda,
alicui ex benevolentia domini, sub conditio-
ne mutuae fidelitatis constitutum. Vel bre-
uius: *feudum* est concessio dominii utilis sub
lege fidelitatis. Vid. Stryk. *Exam. iur. feud.*
cap. 2. quaest. II.

§. II.

1. Dicimus, *feudum* esse *ius*, id est, *faculta-* *Eius*
tem seu *potestatem*, a *domino directo*, seu su- *inter-*
periore, ex *pacto*, *domino inferiori*, seu se- *preta-*
cundario, *concessam* et *comprobataam*.

2. Dicimus, *in re aliena*. Quod enim
pleno iure nostrum est, illud nostrum, alio
respectu, amplius fieri nequit.

3. Dicimus, *in re aliena immobili*. Quod
non stricte capimus, sed lato sensu. Res enim
aliqua immobilis dicitur uel

a) naturaliter, ut praedium urbanum et rusticum, uel

b) civiliter, ut iurisdictio, coniuncta cum praedio, rebus immobilibus accensetur, adeoque simul cum praedio in feudum dari potest.

4. Dicimus, *in re plenissime utenda fruenda*, quia omnis utilitas non tantum ex re immobili, sed et occasione eius percepta, ad dominum secundarium pertinet.

5. Dicimus, *ex benevolentia domini, scilicet superioris*, quia ex gratia eius proficiuntur. Vnde feudum frequentissime modo *beneficium*, modo *beneuola actio* dicitur. Iure autem nostro *donatio regia* nominatur.

6. Dicimus, *sub conditione mutuae fidelitatis constitutum*. In hoc enim forma feudi consistit, ut dominus inferior superiori praestet *fidem obsequii*, dominus autem superior inferiori *fidem defensionis*. Stryk. *Exam. iur. feud. cap. 2. quaest. 12. 21.*

§. III.

Funda- Fundamentum iuris feudalis repetunt do-
mentum ctores ex iure naturali ac gentium. Ipsa enim
feudo- ratio naturalis et publica necessitas exigit, ut
rum est militibus potissimum praedia ab hostibus oc-
ius na- cupata pro bene meritis concederentur, sub
guriae, conditione tamen fidelitatis, quo eo securior
 esset res publica, et ad patriam defendendam
 subditi magis allicerentur. Deinde etiam ipsi
 contractus, per quos feuda constituuntur, ex
 iure naturali dependent. Accedit, quod gen-
 tes pleraque in Asia, Europa, et alibi, feu-
 da receperunt. Quod maius, et in Scriptu-
 ra

ra sacra feudum non obscure innui aiunt *Genes.* XIV. 2 *Chron.* XXXVI. 13. Immo Herodem talem Romanorum feudatarium fuisse, doctores quidam scribunt. Quod nos aliis relinquimus.

§. IV.

Incident autem hic magna, sed iucundissima quaestio, cui genti in Europa origo feudorum sit adscribenda? Quaestio haec mirum Euro-
in modum torquet doctores iuris feudalismi. *Pam in-*
Alii hunc honorem deferunt Gothis, alii Gal-*ueclot-*
lis et Francis, nonnulli Longobardis, qui-*res*
dam vindicant Germanis, plurimi uero con-*Hunni*
suetudini omnium gentium Europearum at-*fuere?*
tribuunt. At uero, pace omnium erudit-
orum, liceat mihi originem feudorum ad-
scribere *Hunnis*, 1) quia Romani ueteres
feuda non habebant, teste ill. Heineccio in
Prost. ad Prooem. Inst. §. 14. 2) quia
Gothi Hunnorum fuere subditi, adeoque feuda
non dabant, sed potius ab *Hunnis* acci-
piebant. 3) Longobardi et Franci poste-
riores sunt, quam ut origo feudorum iis ad-
scribi debet. 4) Imperii feuda sub Carolo
M. initium coepisse, ipse Strykius allegat ex
Itero de feud. imper. cap. I. §. 10. Neque
supra aetatem Francorum Germani in consti-
tuendis imperii feudis adscendere possunt.
Origo itaque feudorum *Hunnis* omnino est
concedenda, non aliis.

§. V.

Deinde, nullius gentis Europaeae do- *Variae*
ctores explicare hastenus potuerunt, quid *feudi*
significent uocabula in iure feudali occurren- *deriuat-*
tia, *tiones.*

tia, *feudum*, *uasallus*, *valuassor*, *felonia*, *allodium*, *adoha*, caet. Quaerit enim Strykius in *Exam. iur. feud. cap. II. qu. 1.* unde deriuatur *feudum*? et responderet, uariare hic doctores. Alii enim deriuant

1.) a uocabulo *fūden*, quod est *pascere seu alere*, ut scilicet *uasallus* et se ipsum, et familiam suam alat; sed haec deriuatio est admodum longe petita.

2.) Aliqui a *foedere*, quod dominus cum *uasallo* in concessione feudi iinire solebat, deducunt: quod tamen minus proprie dicitur.

3.) Nonnulli a uocabulo *Longobārdico feida*, quod *hostilitatem et bellum* significat, deductum esse uolunt. Sed obligare aliquem ad bellum contra hostem, sine fructu aliquo gerendum, non est magnum beneficium.

4.) Alii ex initialibus litteris iuramenti fidelitatis extorquere conantur, *Fidelis Ero Domino Vero Meo.* Sed talis cabbala in iure non est publici saporis.

5.) Alii ex prisca Germanorum uoce *fe*, quae non tantum pecus sed et alia bona olim denotabat, et uoce *ode*, quae *posseſſionem seu proprietatem* significat, deriuant. Sed haec sunt nihil.

6.) Strykius in *Exam. iur. feud. a fide* deriuat. Sed fides non datur in praemium uirtutis, verum res immobilis, adeoque *feudum*, quod rem immobilem significat, non dicitur a fide. Addit autem Strykius ex ittero, ueteres interpres numquam *feudum*, sed *feodum* (*per ea*) scripsisse. Et id quidem recte.

§. VI.

§. VI.

Nam *foed*, *feod*, *uel*, ut aliae gentes *Fen-*
pronuntiant ac scribunt, feud, est uoca-*dum eß*
bulum radicale Hunnicum seu Hungari-
*cum, idemque significat, quod apud Latini-**uocabu-*
*nos terra, praedium, territorium. Addo pro-**lam*
nomen seu particulam possessionem in fine uo-
cis, ex genio linguae Hungaricae significan-
tem öm uel em, unde fit födöm uel födem,
quod idem est, ac terra mea, praedium meum,
territorium meum. Veritas et fundamentum
philologiae huius uel inde appareat, quod ue-
teres reges militibus pro bene meritis in prea-
mium uirtutis certam terrae portionem, cer-
ta praedia ac territoria possidenda concede-
bant: Hinc fit, vt dominus praedii uel terri-
torii apud Hungaros hodienum uocetur föes
ur, id est, dominus territorialis.

§. VII.

Porro cap. VI. Quæst. 2. quaestionem in-*Vafal-*
stituit Strykius, unde uox uasallū descendit? *lus eß*
et responderet, hic quoque uariare doctores, *uoca-*
siquidem *bulum* *Hun-*

1.) Alii a uocabulo Germanico *Vaffen*, de-*gar-*
ducunt, quod significat ligare seu stringere, cum.
ad indigitandum arctissimum uinculum, quo
dominus et uassallus constringuntur.

2.) Alii a Germanico *Gesell* deriuant,
*quod idem est, ac *socius* uel *comes*.*

3.) Alii a uocabulo Gothicō *Vafel*, quod
obnoxium significat, huius uocabuli originem
petunt: sed haec sunt nihili.

Nam *Vás* (quod Hungari eodem sono pro-
nunciant, quo Germani uocabulum Latinum

uas) et Hunnis et Hungaris idem est, quod Latinis *uxillum* seu *signum militare*. At idem est, quod *sub uel infra*: unde nascitur aliud uocabulum Hungarianum compositum *Váz-al-lyas* seu *Vazalos*, quod idem est, ac *uxillifer*, seu supremus dux militiae.

Quod autem ad uocabulum *Valuassor* attinet, id quoque Hungarianum est, constrūctum ex tribus uocibus Hungarianis, *al-váz-ur*: nam, ut paullo antea monui, *al*, *uel*, ut intima plebs pronunciat, *ol*, *ual*, idem est, quod *sub vel infra*; *váz* perinde est, ac *uxillum militare*. *Vr*, quod plebs nostra per or plerumque pronunciare consuevit, dominum significat. Adeoque *al-váz-ur*, *uel* ut in iure feudali, quod Longobardis tribuitur, scribitur, *ualuassor*, in lingua Hungariana idem est, quod apud Latinos *inferior dominus signi militaris*, seu *uxillifer inferior*.

§. VIII.

Felonie Deinde cap. XXII. qu. 2. inuestigare conatur Strykius, undenam dicatur felonie? et iterum respondet, *uariare doctores circa uocis significacionem*. Alii enim

1.) deducunt a uerbo *fallo*, quasi *fallonia*. Sed praeterquam quod haec deriuatio sit uiolenta, plus est malitiae in *felonia*, quam in *fallacia*, quae a uerbo *fallo* descendit.

2.) Alii deriuant a uocabulo Germanico *fehlen*, quod Latinis est *errare*.

3.) Alii a Graeco Φηλωμα, quod *imposturam* significat.

4.) Alii dicunt, esse uocabulum barbarum, et quidem *Longobardicum*.

Sed obserua, Hunnis et Hungaris *fēlen*, *fēlon*, *fōlōn*, discessum a latere alicuius significare, adeoque *felonia*, uel ut Germani scribunt, *felonay*, *discessum*, *desertionem*, *transfugium*, ac proinde *rebellionem*, denotat.

§. IX.

Feudo opponitur *allodium*: quo uocabulo *Allodiū* exprimunt doctores iuris feudalī rem, quae in *umplena nostra potestate ac dominio est*, adeo, ut *quid eam a nullo recognoscamus*. Scribitur autem variis modis, nimirum *alode*, *alodum*, *alodium*, *allodium*. Doctores communiter hanc nocem deducunt ex particula Germanica *all*, omne, et *oede*, quod prīcis Germanis patrimonium significauit. Vnde putant hodiernum uocabulum *Kleinodia*, id est, *bona haereditaria pretiosiora*, deriuari posse. Sed probe obserua, Hunnis et Hungaris *eladō*, vel, vt infima plebs pronunciat, *aladō*, idem est, quod *uenalis*: *eladōm* seu *aladōm* perinde est, ac *uendo*, adeoque *eladōm*, *aladōm*, *allodium* seu *allodium bona*, quae libere ac citra consensum principis *emi* ac *uendi* possunt, et per consequens in plena potestate ac dominio nostro sunt, indigitant.

His accenseri potest uocabulum doctoribus *Adoba* iuris feudalī familiare, *adoha*, cuius meminit Beyerus in *Delin. iur. Germ. lib. III. cap. quid 21. §. 34-39.* quod itidem est Hungaricum: nam *adō* Hungaris idem est, quod Latinis *tributum* seu *census*; quum scilicet subdiri dominis suis censum annum soluunt, siue domini isti fuerint principes, seu nobiles *territoriales*.

§. X.

§. X.

*Ius
feuda-
le Sar-
mati-
co-
Hun-
gari-
cum.*

Tali iure consuetudinario feudali Hunnos eorumque posteros Hungaros, tam in natali suo Sarmatiae Asiaticae solo, quam post egredsum ex Scythia, Daciis et Pannoniis occupatis, ante ingressum Longobardorum in Pannoniam, eorumque transmigrationem in Italiam, fuisse usos, egregie ostendit Ioannes Ioni, IC. Hungarus, in *Tract. de orig. et progress. iur. Hunno-Hungar. sect. I. §. 1. 2.* ubi adducit testimonium Ioannis Turocii ex *Chron. Hungar. cap. 10.* qui scribit, inter Hunnos causarum judicialium directorem fuisse virum quendam, nomine *Kadar*, qui excessus criminales, et praetensiones militum priuatas ac ciuiles, cognoscebat atque perinebat. Vbi simul refert, qua solemnitate duces ac milites ad expeditiones bellicas, mucrone sanguine adperso, et subsequente uoce praeconis, conuocari solebant. Quae tamen consuetudo non erat Hunnis propria, sed communis etiam cum aliis gentibus.

§. XI.

*Attila
eius
compi-
lator.*

Adfert deinde aliud documentum ex Petri Callinachi Exper. Attila, captis descriptisque locis, per quae gentibus suis distributis, regionem munitam, clausam insultibus externis redderet, aliquantulum temporis stabiliendis rebus ac regno suo, totum scribendis legibus, quibus agitarent inter se, absumfit. Putabat enim, conscriptis legibus homines fieri meliores, cum intuerentur quotidie, quae bene merentibus de communi utilitate proposita essent praemia, et quae flagitiis poena immineret. Unde uidemus, Attilam subditis suis promulgasse leges scriptas.

§. XII.

§. XII.

Idem adserit grauis scriptor, Nicolaus Ola-
hus, archiepiscopus Strigoniensis, in suo
Attila, cap. IV. Nimirum, dum Attila, siue
metu uenturi contra se ex Asia Marciani Impe-
ratoris, ut quidam tradidere, siue tentori*ii* sui,
sereno caelo subito prolap*si*, portento percul*sus*,
Sicambriam reuersus fuisset: dimisso exercitu
ad ea Pannoniae loca, quae illis ad curanda cor-
pora, quietemque aliquantisper agendum, dis-
tribuerat: ipse, ne id quoque temporis, quod
a bello supererat gerendo, inutiliter, ac praeter
publicum suorum commodum absumeret, statuit
regnum legibus suis stabilire, arbitratus, leges
regno firmando non minus necessarias esse, quam
arma. Igitur, quim legibus ex aequo et bono
publico conscribendis, subditis in ordinem, quo
uiuerent, redigendis, operam daret: reges et
populi complures partim nominis, fortitudinis,
ac in rebus militaribus gloriae ipsius fama, quae
totum fere iam penetrauerat orbem, pelle*ti*,
partim existimantes, deposita priori praeferoci
natura, eum iam ad mores ciuiliores conuersum
iri, atque regnum suum legibus firmaturum, hac-
qua re aliquam praebiturum et continentiae et
iustitiae suae speciem, ex diuersis orbis regioni-
bus indies ad eum confluebant.

§. XIII.

Quartum documentum Bonfinius suppe-
dita lib. III: decad. I. pag. 37. ipse Attila ad nius.
disponendum regnum animum intendit, rem pu-
blicam instituit, munit legibus, et edicta uaria
promulgat. Non itaque est, ut dubitemus,
Attilam scripsisse leges grammaticae, id est,
litte-

litteris in tabulas describi iussisse; et *iuridice*, id est, publice subditis suis promulgasse.

Isto iure usi sunt Hunni et Goths in Pannonia, quibus Attila pro meritis suis certa officia ac praedia conferebat. Idem ius Gothi ex Pannonia in Italiam secum transtulere; quos mox et Longobardi secuti eiusdem iuris facti sunt participes.

Hoc ius ex lingua Hunnica Gothi, ex Gothicā Longobardi, ex lingua Longobardica in sermonem Latipum conuerterunt duo consules Mediolanenses, Gerardus Niger et Obertus ab Orto.

Atque hoc modo compilarunt *ius feudale*, quod Corpori iuris civilis adieciūt est, circa annum 1150. adeoque haec est ratio uera, cur istud ius antiquissimum in superlativo gradu dicatur 1. Feud. I. §. 1. quia inter mortem Attilae, quae incidit in annum 485 et compilationem iuris feudalis Mediolanensis anno 1150. factae, intercedunt anni praeter propter 692. Hinc denique ratio uera reddi potest, cur isti consules uocabula, *feudum*, *alodium*, *uazallus*, *felonia*, *adoha*, *valuazur*, caet. non scierint uocabulis exponere Latinis, quia erant Hunnica, a Gothis tamen Hunnis immixtis retenta, et ab ipsis compilatoribus Latina terminatione donata, adeoque corrupta ac distorta.

§. XIV.

Tumultuantibus inter se Hunnis et Gothis; perierint, an vero hi exemplaria legum ab Attila promulgatarum clam surripuerint, et in Italiā secum transtulerint, non inquirō.

Suffi-

Gothi
ab
Hun-
nis in

Sufficit mihi, antiquissimas istas consuetudines *Italianam*
Hunnorum mansisse apud eos semper, et per trans-
traditionem ad posteros suos deuenisse, quibus nexe-
lapsū temporis Reges Hungarorum Christiani *runt.*
adiecerunt consuetudines, easque tam ex mo-
ribus aliarum gentium, quam praecipue ex iu-
re ciuii Romano et canonico - pontificio per-
polire conati sunt: quas demum iussu Vladis-
lae VII. Regis Hungariae magister proto - no-
tarius, Stephanus Verboetzius, a. 1514. in
scripturam et unum systema redegit, inque co-
mitiis Hungarianis regi et statibus regni obtulit.
Exstat itaque Ius feudale Hunnicum antiquissi-
mum in Opere tripartito Iuris consuetudinarii
regni Hungariae, sed cui illustris Verboecius
plurima ex iure Romano et canonico capita im-
mituit, ut ipse fatetur, part. II. tit. 6.

§. XV.

Cur ergo in iure Hungariano uocabula, *feu Obie-*
dum, uassallus, ualuaſor, felonia caet. nulli- dio.
bi exstant? Respondeo: igitur, quia sciuit ill.
Verboecius, vocabula ista non esse Latina,
sed Hungariana, adeoque quin iura patria ser-
mone Latino conscriberet, loco feudi scripsit
ius possessionarium, quod ipsi perinde est, ac
praedium vel territorium nobile. Loco uassalli
adhibuit vocabula ducum, baronum, comitum,
caet. quamuis baro non sit uox latina, sed Grae-
co - Phrygica, idemqne significet, quod lati-
nis magnus: unde baro raia apud Asiaticos ma-
gnum dominum denotat. Loco ualuaſoris scrip-
sit capitaneos et officiales minores seu secunda-
rios. Locofeloniae adhibuit notam infidelitatis.
Uſus autem est vocabulo allodii uice unica tan-
tum

tum in toto suo opere, part. III. tit. 14. sed in sensu plane alieno, ac minus accurato, quia forsitan ob terminationem Latinam et litterarum permutationem crisi grammaticam uocis uernaculae non animaduertit. Talia feuda sunt omnes donationes regiae in Hungaria et Transyluania, sive pure, sive per inscriptionem concessae. Vnde non ex iure feudali Longobardico in iura nobilium Hungarorum plurima irrepperunt, ut putarunt plurimi viri illustres, Citonitsius cap. I. qu. 12. et RR. Szededi in Tyrocinio suo, sed Gothi et Longobardi iura sua feudalia acceperunt potius ab Hunnis.

Frustra itaque Goths, Hunnorum subditi, vel Longobardi, Hunnorum in Pannonia inquilini, de origine et antiquitate iuris feudalis gloriabantur, ista enim praerogativa Hunnorum est. Neque amplius interest, ut celeb. Conr. Sam. Schurtzfleischius in *Diss. Hungarica* §. 9. in notis Hungaris obuiat, se nihil inuenisse constitutionum Hunnicarum. Reclius scripsit Bernegerus, Hungarorum ius sine scripto remansisse, quod usus diutinorum morum consensu utentium comprobavit, usque ad Vladis aum II. regem. Id quod et Bodinus candide agnouit. Cum enim Europani paene totam ferro ac flamma Hunni uastarent, Longobardos et Alemanno, Germanorum gentes, ac Francos, Gallorum ueteres colonos, ad dominatum rerum omnium occupandum sic adfuererunt, ut nemo terrae glebam nisi eorum beneficio possideret.


T A N T V M .

HU 137

ULB Halle
007 401 434

3





ANDREAE HVSZTI
IVRIS PRUDENTIAE ET POLITICA
IN INCLYT. COLLEG. REFORMAT.
CLAVDIO POLITANO
PROFESSORE
DISQVISITIO
QVA
ORIGINES FEVDORVM
ATQVE
IVRIS FEVDALIS
NON ALIAS
NISI HVNNICAS ESSE
PROBATAV R.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA
CICIOCCCLXXII.

